I. N. J.

Sacro Hymenæo,

quod

Præmodùm-Reverendus, Clarissimus, Doctissimusq; Vir,

DN: DAVID BOHEMUS

Pastor & Aulæ & Civitatis Bernstadii multò fidelissimus, Ducalis Consistorii Olsnici Adsessor Gravissimus, & Presbyterii in eodem Ducatu Senior bene-Merentissimus,

Filiæ natu Grandiori

Probissimæ moribus & formæ dote Virgini,

Reverendo, Præclaro, Doctissimoq;

Dn. M. SAMUELI ALBINO,

Pastori in Hoh-Kirch fidissimo,

Christiano ritu

nubenti

facit

Bernstadii,

ANNO 1651. d. 11. Julii:

votivas preces addit

Fautor singulariter æstimatus

cum

Clientulis.

OLSNÆ SILES. Litteris Seyffertianis.

Gemma velut charo pretiosa coruscat in auro:
Sic lucet juvenum Sponsa pudica charo.
Ornavit Dominus variis virtutibus illam,
Et docto Sponso jam datur ipsa viro.
Ergo Tibi grator doctissime corde Boheme,
Qvòd talem Generum dat Tibi JOVA potens!
Faxit & ut videas longo pòst ordine Gnatos
Et Gnatas multas. hoc precor! hoc voveo!

* * *

Ut Samuel Regem superavit sanctus Agagum:
Sic prece, sic verbis vincitur omnis Amans.
Ut Cataphractus Eqves perfossit fortè Draconem
Cum Regis Gnatâ digna brabêa ferens:
Sic blandis verbis vicisti corda parentum,
Et charam Natam sub juga sancta trahis.
Ducitur ergo boni Patris en Tibi filia Conjux,
Qvæ docto maneat Costa pudica viro.
Accipe Sponse tuum, de cœlo mittitur alto
Donum, cum Sponsâ vive valeq; diu.
Ex illa videas Albinos ordine multos,
Hoc opto; votum sit, pie Christe, ratum!

BARTHOLOMÆUS HILSCHERUS,
Pastor & Senior Trebnicensis.

Hos

Ἠχὼ γαμική.

Hos ecqvis postes ornat viridi bene lauro?
Auro. Quis Floræ germine limen? *Hymen.*
Personat has ædes sonitus dulcedine qvantus?
Cantus. qvis strepit hoc tempore clamor? *amor.*
Hûi! nunc ALBINI dulcore puella rubella
bella in complexus jam modò vadit? *adit.*
MARGARIS ALBINUM per amorem siccine captat?
Aptat. ita ALBINE, ut sponsus ameris, *eris.*
MARGARIS, esné marita? *ita.* Tune ALBINE maritus?
Ritus, amorq; mihi talia finit, *init.*
Annuit ALBINUS; sic infit: basia mille
ille ego cum sponsâ qvando habitabo, *dabo.*
MARGARIS annuit, &, volo, dictitat, igne venusta
usta, meo ALBINO sic habitare *Lare.*
ALBINO alba ligustra feram, albula pignora puber,
uber ego albescens ceu generosa *rosa.*
Ut rosa florescit foliis; sic Sponsula gignet,
ignet, & ALBINO pignora grata, *rata.*
O felix ALBINE! futuræ vive maritæ
Rite: toro cedat qvodq; gravamen, *amen!*

Honoris ergò edita

à

JOHANNE-CHRISTIANO HUBRIGIO
Musarum Castra sequente.

Sponsi

Sponſi ad Sponſam
Alloqvium Anacreonticum.

Nunc MARGARIS venito,
Mea Tu veni columba,
Amabilis columba,
Spectabilis columba,
caſti decus pudoris:
poſthac meis decenter
Amplexibus fruéris,
Et oſculo ſuävi:
Conſors tori vocanda,
noſtrumq́ in apparatum
Thalamum venire digna,
Te Margarella bella,
Te Bella Margarella,
puella Te rubella
Rubella Te puella,
Ex millibus ſed unam,
Ex omnibus ſed unam,
vitæ meæ levamen
Te, Te mihi dicavi.
Qvi Te meam ſubinde
Virgunculam vocabo.
Qvi Te meam ſubinde
Maritulam vocabo.
Nobis erit perennè
Duobus una vita.
Fides duobus una:
Dolor unus, una cura.
Sortemq́, qvæ manet te,
Tuam-meam putabo.
Sortemq́, qvæ manet me,
Meam-tuam putabis.
Tu prole me beabis:
Me perpetimq́ amabis:
Ego Te ſubinde amabo,
Ego Te ſinu fovebo.
En Dexteram fidemq́!

gratulabundè adpoſitum

à

BENEDICTO TEICHMANNO
Muſarum ſtudiis vacante.

F I N I S.